



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. Quid est dubium & quotuplex?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Terillus. Omnis operans, ut excusetur à peccato, debet operari ex bona fide, quia *quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. At nulla fides potest esse bona, seu sufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem saltem moraliter certum se non peccare: nam si fides seu persuasio quòd non peccet, sit solùm probabilis, illa & reipsâ falsificari, & homo non solùm reipsâ, sed etiam quantum ipsemet judicat, peccare poterit; quia quævis opinio probabilis de objecto contingenti non solùm reipsâ, sed etiam quantum ad existimationem operantis falsificari potest. At impossibile est hominem bona fide, seu fide ad honestatem actionis sufficiente operantem, aut reipsâ aut secundùm propriam existimationem peccare posse. Ergo fieri nequit ut bona fides, seu persuasio sufficiens ad honestatem actionis, sit iudicium tantùm probabile: Ergo necesse est, ut saltem moraliter certò judicet actionem, quam regulat, non esse peccaminosam.

*Q. 2. Quid est dubium & quotuplex?*

*Resp. 1.* Dubium est suspensio assensûs & dissensûs inter utramque partem ob motiva pro utraque parte æquè probabilia. Dico, *ob motiva*, &c. Nam dubium, quod vocant negativum, consistens in suspensione mentis inter utramque partem contra-

di-

dictionis, ob carentiam motivorum pro utraque parte, non est propriè dubium, sed nescientia & ignorantia. Quòd si mens in unam partem magis inolet quàm in alteram absque tamen assensu, tum est suspicio. Hinc patet. 1. Dubium differre ab opinione, nam per hanc assentimur uni parti: in dubio verò mens suspensa manet inter assensum & dissensum. 2. Conscientiam dubiam non esse propriè conscientiam, cum dubium non sit dictamen seu iudicium practicum, sed suspensio iudicii circa bonitatem, & malitiam actûs.

*Resp.* II. Dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est dubium de lege seu obligatione, aut legitima facultate agendi. Et hoc duplex est, nempe speculativum seu generale, quo dubitatur in genere, num aliquid sit licitum, an illicitum; & practicum seu particulare, quo dubitatur an actûs aliquid hîc & nunc cum omnibus suis circumstantiis sit licitus necne: ut eum quis dubitat an contractus hic quem nunc vult inire cum talibus conditionibus, sit licitus.

Dubium facti est dubium circa aliquod factum, ut cum dubito an tale debitum persolverim; item an hæc persona sit v. g. confanguinea, an non; an cibi appositi sint caro, nec ne? &c. Ex dubio facti sæpe oritur dubium juris, ut cum quis dubitans an aliquid voverit, præterea du-

dubitat, an id præstare teneatur in tali dubio.

Q. 3. *An est peccatum agere vel omit-  
tere aliquid in dubio de malitia talis actus  
hic & nunc faciendi, vel ejus omis-  
sionis?*

*Resp.* Est peccatum ejusdem speciei & gravitatis, cujus est peccatum de quo dubitatur, quamvis id secundum se sit licitum. *Ita omnes.* Constat. 1. ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, hoc est ex persuasione quod sit licitum, peccatum est.* At actio, (idem dic de omissione) quæ fit in dubio de ejus malitia, non est ex fide, seu ex persuasione quod sit licita, ut patet: Ergo peccatum est. 2. Agens in dubio vult saltem interpretativè malitiam peccati, de qua dubitat: eo ipso enim æquè vult actum, sive sit peccatum, sive non. 3. Qui se exponit morali periculo peccandi, peccat, & quidem eadem specie & gravitate peccati, cujus periculo se exponit, juxta illud *Eccl. 3. Qui amat periculum, in illo peribit.* At agens in tali dubio exponit se periculo faciendi peccatum, de quo dubitat, & tale periculum amat ac eligit: nam id agit, quod spectato suo conceptu tam potest esse illicitum, quàm licitum, nec habet determinatum judicium, quod operatio sua sit licita potius quàm illicita. **Idque**